

filia de ask in meorum remissionem peccatorum de bonis michi a deo concessis testamentum meum ordino in hunc modum. Fratribus predicatoribus siktonie apud quos eligo sepulturam do dimidiam marcam terre in hiis villis, In vingru villa que dicitur ekiby unum solidum terre. In deffinsø dimidiam oram terre. In lunby, parrochia marchem dimidiam oram terre. In seby, parrochia valandatumum octo solidos terre. quorum quilibet solidus terre suprapositus ualet tres marcas den. volo autem quod heredes mei predia predicta iusto precio redimant, postquam defuncta fuero ante annum. Claustro sanctimonialium in sko quatuor marcas den. Dilecte filie mee sanctimoniali ibidem duodecim marcas den. Ecclesie mee parrochiali Nes & sacerdoti duas marcas den. Testes huius donacionis mee presentes fuerunt filius meus Jacobus filia mea Botildis & helmborg sanctimoniales de sko, frater ho supprior siktoniensis, & frater Bernardus. In cuius testimonium sigillum meum duxi presentibus apponendum. Datum anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXXIX. in vigilia sancti andree apostoli.

Sigillet fallet från den ur brefvet klippta remsan.

1008.

1289 d. 13 Dec.

Rom.

Cardinalen, Biskopen BONAVENTURA m. fl. Cardinalers Aflatsbref för dem, som besöka St. Nicolai altare i Predikarebrödernas klosterkyrka i Sigtuna.

A. 2.

UNIVERSIS Christi fidelibus presentes literas inspecturis, BONAVENTURA Ragasinus Dei gratia archiepiscopus, RODERICUS marrochitanus, ROBERTUS Pergamensis, THEOBALDUS Canensis, MARCELLINUS T...bulensis, JACOBUS T...ienensis, PERRONIUS Larinensis, ROGERIUS S...gulensis, GUILIELMUS Dignensis et VALDEBRUNUS Auellonensis eadem gratia Episcopj salutem in Domino sempiternam. Quoniam quidem de salute fidelium sollicitj deuotionem ipsorum quasj quibusdam allectjuis muneribus, jndulgentijs uidelicet et remissionibus, inuitamus, Ad debitj famulatus honorem Deo et sacris edibus impendendum ut quanto crebrius et deuotius illuc confluit populus christianus, tanto celerius delictorum suorum ueniam consequatur. Cupientes igitur ut Altare beatj Nicolaj in Ecclesia Domus fratrum predicatorum de Sictonia Obsellensis diocesis, congruis honoribus ueneretur et a cunctis christj fidelibus iugiter frequentetur Omnibus uere penitentibus et confessis quj ad dictum Altare in festis subscriptis uidelicet Natiuitatis Resurrectionis et ascensionis dominj nostrj atque Pentecostes, in quatuor festiuitatibus gloriose uirginis Marie in festo omnium sanctorum. omnium et singulorum Apostolo-

rum, beati Nicolaj Pontificis, beatarum Katerine et Margarete virginum, beate Marie Magdalene in die dedicationis ipsius altaris, aut in anniuersarijs eiusdem diej causa devotionis accesserint, aut quj prelibato Altarj pro suis ornamentis luminaribus vel alijs suis necessarijs manus perrexerint adiutrices, aut in extremis laborantes quicquam suarum legaverint facultatum. Nos de omnipotentis Dej missericordia, et beatorum Petrj et Paulj Apostolorum ejus auctoritate confisi singulij, singulas dierum qvadragenas de iniunctis sibj penitentijs, dummodo consensus diocesanj ad id accesserit, in domino misericorditer relaxamus. In cujus rej testimonium presens scriptum Sigillorum nostrorum Munimine duximus roborandum. Datum Rome Idus Decembris Anno Domini .M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXXX<sup>o</sup>.IX. Pontificatus Dominj Nicolaj Pape IIII anno Secundo.

Sigillen: 2, 5, 8, 9 i rödt vax å röda och gula silkestrådar, finnas, något skadade; de öfriga bortfallna.

1009.

1289 d. 19 Dec.

Rom.

Påfven NICOLAUS IV:s Skrifvelse till Biskopen i Strengnäs om det på Konung Magni begäran beviljade giftermålstillstånd för Helga, Konungens anförvandt, och Rörrik Birgersson.

F. 1. 334. An. 2. Ep. 699.

*Nicolaus IV. instante Rege Svetiæ Strenginensi Episcopo committit dispensationem a 4:o Consanguinitatis gradu pro Matrimonio ineundo inter Halgham Regi consanguineam, ac Roricum Birgeri Upsalensis Dioecesis.*

*Nicolaus &c. Venerabili Fratri . . . . Episcopo Strenginensi Salutem &c.*

Cum summus Pontifex collatis sibi in persona Beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul, et eterna disponit clavibus Regni celestis ligandi obtineat pontificium, et solvende nonnumquam supra ius de iure dispensans necessitatis vinculum quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, cum urgens necessitas exigit, vel evidens necessitas id exposcit. Sane significavit nobis carissimus in Christo filius noster M. Rex Svetie, et Gothorum Illustris, quod licet dilecta in Christo filia Nobilis Mulier Halgha Animdi tue Dioc. eiusdem Regis consanguinea legitimo uti desideret consortio maritali, tamen in Regno Swetie aliquis nobilem ipsam gradu consanguinitatis, aut affinitatis ad contrahendum Matrimonium prohibito non contingens nequit comode inveniri, qui conditione status predictæ Nobilis, ac originis nobili-